



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 29. Principum atque Illustrium obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII. fuerint effecti Sacerdotes, & tunc nec
A. C. 1707. ipsis competat præcedentia adversus
 Canonicos Sacerdotes, posteriores receptione, cum jus semel adeptum ex Sacerdotio, nunquam amittatur. Denique S. Concilii Congregatio die decima septima ejusdem Mensis decidit, quod Episcopus habens privilegium deferendi Crucem, possit eam elevare in quocunque loco exempto, non obstante quacunque exemptione.

§. XXIX.

Principum atque Illustrium obitus.

Briet. Annual. mund. cont. p. 123. Kettel. Dec. V. p. 481.

Post infaustam hujus anni expeditionem bellicam nimis mature minus, quam acerbe Cæsaris exercitus sensit, quem Virum perdidit in Ludovico Guilielmo Badensi Principe. Hic Cæsaris supremus belli Præfectus ac supremus Imperii Romani Marschallus Gallos & Turcas non una caude protrivit, ac per plures annos ad Rhenum & Danubium oppositos sibi hostes quasi continua strage depressit. Erat Princeps ad magna natus, consilio, animi fortitudine, vigilantia & militum experientia a teneris longe præstantissimus, qui plures suæ gloriæ habuit æmulos, sed suæ virtutis æmulatores oppido paucos. Obiit in suo Rastattin castello

Sæc. XVII.

A. C. 1707.

castello die quarta Januarii anno ætatis suæ quinquagesimo secundo. Decessit etiam die vigesima sexta Maij Borbonii ad Thermas Francisca de Montespan ejusmodi nominis Marchionis Uxor, quæ publicis Ludovici XIV. Galliarum Regis amoribus irretita, cum suo Marito divortium fecit, ac duodecim ferme annis pro summo imperio Regii cordis dominatum tenens, ex adulterinis complexibus duos Filios & quatuor filias Regi peperit: postea per Fontangiam & Mentenoniam Rivales suas exclusa, ipsoque Rege ad Bossueti Meldensis Episcopi monita in viam reverso, atque immoderatum ipsius dominatum, necnon aculeatas, quas ob vagam Regis libidinem identidem fecerat, exprobrationes pertæso, favoris & aulæ exors facta est, ac demum ad Benedictinum Fontis Ebraldi Asceterium secessit, ubi in Abbatissam electa, contracta animi corporisque ægritudine rebus humanis valedixit. Sequentis Mensis die decima sexta naturæ debitum solvit in Galliis Anna Maria Nemorosii Ducissa, Neocastri apud Helvetios suprema auctoritate Princeps: Hujus morte devolutum ad dicti Principatus successionem jus prætendebant plures, & quidem jure caducitatis Franciæ Rex, qui etiam hanc causam Vesontino Par-

Ss 2

lamen-

Sæc. XVII. A. C. 1707. lamento in Burgundia decidendam
 commissit, possessio tamen sic decer-
 nentibus Status comitiis Friderico III.
 Prussæ Regi adjudicata est. Præter
 hos etiam obiit die vigesima octava
 Aprilis Christianus Dux Gothano - Ei-
 senbergensis Princeps arte chymica ex-
 cellens, die decima Junii Ernestus Dux
 Vinariensis, die decima septima Maji,
 Carolus Guilielmus Hassio - Darmstadia-
 nus, & die decima quinta Augusti
 Joannes Guilielmus Saxo - Gothanus
 Dux.

§. XXX.

*Clemeneis XI. oppositio contra
 Electoris Constitutionem.*

*Epist. Clem.
 XI. p. 358.
 Theatr.
 Europ.*

Jam anno prioris sæculi nonagesimo
 secundo Leopoldus Imperator Erne-
 stum Augustum Pseudo - Episcopum
 Osnabrugensem, & Ducem Brunsvico-
 Luneburgico - Hannoveranum ad noni
 Electoris dignitatem evexit, atque de
 ea illum solemniter die decima nona
 Decembris investivit, reclamantibus
 non modo Innocentio XII. sed & An-
 tonio Ulrico Guelferbytano Duce,
 aliisque Principibus, ut vocant, cor-
 respondentibus, qui ut Ratisbonensia Im-
 perii comitia declinarent, habito Gos-
 lariæ conventu duos Legatos Viennam
 dece-